

gentis vocabulo nominati diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset. eandem artem etiam Aegyptii longinquitate temporum innumerabilibus paene saeculis consecuti putantur. Cilicum autem et Pisidarum gens et his finitima Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipsi, volatibus avium cantibusque certissimis signis declarari res futuras putant. quam vero Graecia coloniam misit in Aeoliam Ioniam Asiam Siciliam Italiam sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonis oraculo, aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est?

2 Nec unum genus est divinationis publice privatimque celebratum. nam ut omittam ceteros populos, noster quam multa genera complexus est. principio huius urbis parens Romulus non solum auspicato urbem condidisse sed ipse etiam optumus augur fuisse traditur. deinde auguribus et reliqui reges usi et exactis regibus nihil publice sine auspiciis nec domi nec militiae gerebatur. cumque magna vis videretur esse et inpetriendis consulendisque rebus et [in] monstris interpretandis ac procurandis in haruspicum disciplina, omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis quod neglectum ab iis videretur. et cum duobus modis animi sine ratione et scientia motu ipsi suo soluto et libero incitarentur, uno furente altero somniante, furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati eorum decem interpretes delectos e civitate esse voluerunt. ex quo genere saepe hariolorum et vatum furibundas praedictiones, ut Octaviano bello

